

Češka, Josef; Hošek, Radislav

Tituli militares

In: Češka, Josef; Hošek, Radislav. *Inscriptiones Pannoniae Superioris : in Slovacia Transdanubiana asservatae*. Vyd. 1. Brno: Universitas Purkyniana Brunensis, 1967, pp. [13]-22

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/119914>

Access Date: 26. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

TITULI MILITARES

1. TITULUS CUM SIGNO LEGIONIS

Tabula dedicatoria ex lapide calcario facta (a.: 0,60; l.: 0,79; cr.: 0,20) ornata est capricorno, signo legionis XIII, cui tabella cum titulo (a.: 0,23; l.: 0,46) ansata, profundior duabusque lineis conclusa, subdita est. Litterarum tituli mensura ut sequitur: a.: 0,04; l.: 0,025—0,03.

Reperta esse Brigetione (Szőny in Hungaria) putatur (cf. Kuzsinszky l. c.), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2815 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33631: omnis tabula cum capricorno; P-33624: titulus) depositae sunt.



Titulus n. 1 cum signo legionis XIV

Post a. 100?

Vidimus; B. Kuzsinszky, *Arch. Ért.* 23, 1903, p. 63 sq.; L. Barkóczy, *Brig.* 63, n. 261.

Tituli transcriptio:

- (1) *vexillatio*
- (2) *leg(ionis) XIII G(eminae) M(artiae) V(ictricis).*

Licet a Caesaris Traiani temporibus legio XIII GM castra Carnunti tenuerit, tamen eius vexillationes aliaeque legionis partes in tota provincia, praecipue autem Brigetione (cf. Ritterling, *Legio* 1738 et 1740), reperiuntur. Qua de causa res ipsa obstare non videtur, quominus tabulam pro vera habeamus, sed forma eius atque cum duobus titulis falsis, qui in Museo Danubiano Comarnensi inter authenticos asservantur, similitudo quaedam suspicionem nobis — sicut et Kuzsinszkio et Barkóczio — iniciunt (cf. F-1 et F-2 editionis nostrae).

2. TITULUS MILITARIS IN RUPE

Titulus militaris in rupe arcis Trenčínensis in altitudine 4,12 m a terra situs, eo est incisus loco, ut hodie ex cenaculo xenodochii Tatran facile legi possit. Versus tituli longitudine impares (v. 1: 1,12; v. 2: 1,17; v. 3: 1,22; v. 4: 1,16; v. 5: 0,67; v. 6: *l. incerta*) litteras a. 1936 in hodiernum statum paululum renovatas continent. Singulorum versuum litterae altitudine valde inter se differunt (v. 1 et 2: 0,13; v. 3 et 4: 0,08; v. 5: 0,07; v. 6: 0,04). Imago tituli photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-18956) deposita est.



Titulus militaris n. 2 in rupe Trenčínensi

A. 179/180.

Vidimus; CIL III 13439 (Mommsen); Dessau *ILS* 9122; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 101; V. Ondrouch, *LR* 54, n. 50; H. G. Pflaum, *Libyca, Archéologie—Épigraphie* 3, 1955, p. 123—154; J. Dobiáš, *Archeologické rozhledy* 9, 1957, p. 523—534; idem, *LF* 5 (80), 1957, p. 179—196; idem, *Libyca, Arch.-Ép.* 5, 1957, p. 107 sqq.; idem, *Atti del III Congresso Internazionale di Epigrafia Greca e Latina*, p. 3—14; T. Kolník, *Limes Romanus Konferenz Nitra*, p. 27 sqq., adn. 3; *AÉp.* 1959, n. 183 et 247; O. Pelikán, *SPBU E* 8, 1963, p. 99; P. Goessler, *PWRE* XXIV (a. 1963), col. 638 (male).— Cf. et J. Dobiáš, *Dějiny československého území před vystoupením Slovanů*, p. 213 et 257 sq.; A. Mócsy, *Pannonia* 560—561; P. Oliva, *Pannonia* 279 sqq.

Varia lectio:

- (3) *cui* = *qui* Dessau.
- (4) *ONE* (*Lau*|*garicione*) in ligatura.
- (5) *DCCCLV*.. Dessau; *DCCCLV*... Mommsen; *DCCCLV* lapis; *DCCCLV* [*M. Val.*] Pflaum, Dobiáš.
- (6) [*Cons*]t(?)a(?)*ns* Mommsen, .. *ans* Dessau, [*Cons*]tans Stein et (a. 1963!) Goessler, [*Const*]ans Ondrouch; [*Maximi*]an(u)s Pflaum Dobiáš, ceteri. — *CVR* (*curavit*) in ligatura. — *f(aciendum?)* Mommsen, Dobiáš; *f(aciendum)* Ondrouch.

Tituli transcriptio:

- (1) *Victoriae*
- (2) *Augustoru(m)*
- (3) *exercitus cui (= qui) Lau-*
- (4) *garicione sedit mil(ites)*
- (5) *l(egionis) II DCCCLV*
- (6) [*M(arcus) Val(erius) Maximi*]an(u)s *leg(atu)s leg(ionis) II Ad(iutricis) cur(avit)*.

M. Valerius Maximianus eidem vexillationi praefuisse in inscriptione Dianae Veteranorum reperta commemoratur (*AÉp.* 1956, n. 124, v.19 sq.). Qua inscriptione a H. G. Pflaum reperta, publici iuris facta commentataque et novis postea explicationibus a J. Dobiáš in lucem emissis, priora tituli Trenčínensis additamenta et supplementa a viris doctissimis sagacissime olim prolata, minime nunc ad titulum explicandum valent. Ea, quae ad res gestas atque tempus pertinent, apud J. Dobiáš (ll. cc.), A. Mócsy (l. c.), P. Oliva (l. c.) invenies.

De sensu formularum ad Victoriam in inscriptionibus Pannonicis pertinentium omnia J. Dobiáš (*Mnema Vladimír Groh*, p. 37—52) explanavit.

3. TITULUS IMPERATORIUS IN TABULA CALCARIA

Fragmentum lapidis calcarii (*a.*: 0,47; *l.*: 0,98) in tabula profundiore (*a.*: 0,42; *l.*: 0,83) litteras (*a.*: 0,05) tituli valde mutilati exhibet. Titulus ex utroque latere duobus semicircularibus in utroque fine convolutis concluditur et flore artificioso semicircularibus interposito ornatur. Nostris diebus omnis tabula conspici non potest, quia muro ecclesiae consaepta erat et — ut melius conservaretur — a. 1955 munita est. Caementarius autem, cum opus pretii lapidis ignarus faceret, tabulam ita expolivit, ut titulus integrior ex veteribus quam ex recentissimis imaginibus legi possit.



Imago tituli n. 3 e libro V. Ondrouch, Limes Romanus na Slovensku, luce denuo facta

Ubi lapis repertus sit, ignoratur. Nunc in vico Semerovo (districtus Nové Zámky) modo supra dicto asservatur. Imagines tituli novissimae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33650 et P-33651) depositae sunt, imagines phototypicae vetustiores in libris V. Ondrouch, *LR*, tab. IV, n. 3, et L. Barkóczy, *Brig.*, tab. XLVII, n. 5, publici iuris factae facile inveniuntur.

A. 229.

Vidimus; J. Kurucz, *RN* 49; F. Křížek, *Bratislava* 10, 1936, p. 431, adn. 96a; V. Ondrouch, *LR* 53, n. 48; L. Barkóczy, *Brig.* 62, n. 234.

Varia lectio:

- (3) *NT* (*pontifex*) verisimiliter in ligatura, *PON* editores.
- (4) In imaginibus phototypicis veterioribus versus litteris *OI* finitur. Et Ondrouch et Barkóczy *S III* legunt et [*co*]s (?) *III* [*p(ater) p(atriae)*] suppleant. An recte legerint, hodie, cum sit lapis expolitus, dici non



Tituli n. 3 a parte dextra illuminati status hodiernus



Tituli n. 3 a parte sinistra illuminati status hodiernus

potest, sed ex inscriptione, in qua M. Aureli Severi Alexandri trib. pot. VIII una cum consulatu III inducitur (Dessau *ILS* 6795), recte suppluisse videntur.

Tituli transcriptio:

- (1) *Imp(erator) Caes(ar) M(arcus) Aur(elius) Seve-*
- (2) *rus [Al]e[xander] Pi[us Fe-]*
- (3) *lix Aug(ustus) pont(ifex) m[ax(imus) trib(unicia)]*
- (4) *pot(estate) VIII [c]on[s(ul) III p(ater) p(atriciae)]*
- (5) ca 15
-
- (6) ca 15
-
- (7) ca 15
-

4. TITULUS IN LAPIDE MILIARIO

Lapis miliaris calcarius (a.: 1,18; *diametri* 0,45) in fronte titulum litteris valde detritis (v. 1 et 10: a.: 0,08; l.: 0,05; v. 2—9: a.: 0,04; l.: 0,035) scriptum continens.

Repertus est in vico Virt, non longe a Comarno distanti, quem in locum — tempore nobis ignoto — e loco a se destinato, i. e. e statione, quae in via Brigetione Aquincum iacebat et a Brigetione quinque milia passuum (= 7,5 km) distabat, transvectus erat (cf. A. Stein, l. c., et V. Ondrouch, l. c.).

Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2822 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33647) deposita est.

A. 238—244.

Vidimus; CIL III 11332; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 104; V. Ondrouch, *LR* 55, n. 52; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 330.

Varia lectio:

Editores in CIL III 11332 titulum per analogias (CIL III 11333 et 11334) suppleverunt.

Tituli transcriptio:

- (1) *Imp(erator) Cae[s(ar)]*
- (2) *M(arcus) A]nt(onius) [G]or[dianus*
- (3) *P(ius) F(elix)] Aug(ustus) p(ontifex) [m(aximus)] tr(ib(unicia)*
p(otestate) . . .
- (4) *p(ater) p(atriciae)] co(n)s(ul) pro[co(n)s(ul)*



Titulus n. 4 in lapide miliario

- (5) *via]s vetust[ate con-*
- (6) *lap]s(as) cum [pontibus*
- (7) *rest]ituit p[er [alam III*
- (8) *Thracum] Gordian[am];*
- (9) *a Br[ig(etione)]*
- (10) *m(ilia) p(assuum) V.*

Quae ad alam III Augustam Thracum sagittariorum pertinent cf. apud A. Mócsy, *Pannonia* 620, 49. Ad lapides miliarios ibidem 657.